servāvērunt. nunc est bibendum.' Quīntus rīsit Marcumque relīquit vīnum bibentem. ad Acadēmīam recurrit; scholam enim Theomnēstī audīre cupiēbat.

ad Acadēmīam reversus, multitūdinem iuvenum invēnit theātrum frequentantium. omnēs valdē commōtī sunt. causam tantī tumultūs mox cognōvit. vix enim sēderat cum plērīque seniōrēs theātrum intrāvērunt ā Brūtō ductī. Quīntus attonitus est; Brūtus ipse, patriae līberātor, ad Acadēmīam vēnerat.

continuō intrāvit Theomnēstus; ā discipulīs salūtātus est tribūnalque ascendit. paulīsper audītōrēs tacitus īnspiciēbat; deinde scholam incēpit. dē officiīs disseruit. hanc quaestiōnem prōposuit: 'quid facere dēbet vir bonus, sī tyrannus rempūblicam opprimit lībertātemque cīvium praecīdit?' exemplum revocāvit Harmodiī et Aristogeitōnis, quī quīngentīs ante annīs tyrannum Athēnārum occīderant lībertātemque populō redidderant. illī ab omnibus laudātī erant glōriamque immortālem sibi pepererant.

Theomnēstus ab omnibus intentē audītus est; ubi schola ad fīnem perducta est, iuvenēs ad Brūtum sē vertērunt et vehementer plausērunt. ille manūs sustulit eōs salūtāns, deinde sine verbō ē theātrō exiit.

est bibendum (we) must drink

reversus having returned
frequentantium crowding
plērīque several

tribūnal (n.) platform
quaestiōnem question

praecīdit cuts off
quīngentīs ante annīs five hundred years before
pepererant had won

plausērunt applauded

Brutus

Respondē Latīnē

1 cūr tam commōtus erat Marcus?
2 cūr patrem suum vidēre nōlēbat?
3 postrīdiē cūr hilaris erat?
4 ubi Quīntus ad Acadēmīam rediit, quid invēnit?
5 quam quaestiōnem Theomnēstus iuvenibus prōposuit?